

65 66 67 Multiplex morborum caterva, miseratione dignum hominem reddit. Saepe eorum causa fit, ut qui omnibus numeris christiane vixit, moriatur Sacramentorum auxilii destitutus: nihilominus, etsi aliquando, ob subitum morbum, impedimentum linguae detur, si vita morientis, quantum fert humana fragilitas, vere fuit acta in fide, et religione. Sacramentum Extremae Uctionis non denegari cuiquam praecipit Sancta Mater Ecclesia. Unde ait Barbosa *d. p. 2. cap. 22. n. 13.* ministrandum esse hoc Sacramentum diuturno tempore amentibus, aut phrenesi laborantibus, modo priusquam in talem amentiae statum pervenissent, Sacramentum hoc saltem interpretative desideraverint: si nimirum Christiane vixerint, atque salutis suae memores fuerint, quod quidem praesumendum, nisi contrarium appareat, Henriq. *l. c. 13. §. 1. Possev. c. 9. n. 4.*

68 Qui vero a nativitate amentes, et insani sunt, ac nunquam lucida habuerunt intervalla, comparantur Infantibus, et non esse in Sacramentum ministrandum tradit Bonacina *punct. 5. n. 2. et. 3.* cum aliis apud Carbos. *loco citato.* Secus vero alii Doctores sentiunt, Fernand. *p. 3. c. 10. §. 1. n. 9.* Attamen tutior sententia est, quod hujusmodi amentibus a nativitate, qui numquam lucida habuerunt intervalla, non sit ministrandum, quia non sunt capaces peccati actualis.

Rubrica itaque intelligenda est de Amentibus Phreneticis, delirantibus, et mutis ob vehementiam infirmitatis, qui ante morbum sana mente erant, et integris sensibus, atque Christiane vixerint, nisi notorie aliter usque dum apparuerit.

§. VII. Sed si Infirmus, dum phrenesi aut ementia laborat, verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino.

69 70 In Titulo de SS. Eucharistiae Sacramento ad §. 10. veritum fuit, ne ministraretur Sacra Eucharistia amentibus, et phreneticis ob periculum scandali, et irreverentiae. Modo idem repetitur in Sacramento Extremae Uctionis: et sane difficile est in phrenetico, et deliranti impedire, ne acta irreverentiae promat tunc, cum mente delirat, nec distinguit Sacrum a non Sacro. Ideoque Rubrica praesens praecipit rationabiliter, ne inungantur hujusmodi phrenetici, nisi periculum irreverentiae tollatur omnino. Difficultas est de modo tenendo ad tollendum hoc periculum. Barbosa cum variis Theologis *d. l.* libere dicit, hujusmodi phreneticos, si resistent, esse ligandos, et hoc aliquando facere esse necessarium, quando phrenetici

non possent recipere aliud Sacramentum nisi Extremam Uctionem. Vide Dianam *p. 1. tract. de celebrat. Miss. Resolut. 78. in fine.*

§. VIII. Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, et nondum baptizatis, penitus denegetur.

71 Quatuor ordines Personarum arcetur ab usu Extremae Uctionis: Impoenitentes: Manifesti Peccatores: Excommunicati: et nondum baptizati, de quibus singillatim infra; et primo.

72 Impoenitentes sunt qui cum publice peccaverint, nullum poenitentiae signum dederunt, adeo ut a peccato suo recessisse nemini notum sit, Gobat. *tr. 7. n. 602.*

73 Manifesti peccatores sunt qui in actu mortaliter peccaminoso morte correpti sunt, aut actualiter peccando, sensibus destituuntur, verbi gratia, in fornicatione, in blasphemia, in furto etc.

74 Excommunicati sunt qui censura publice innodati, adhuc absoluti non sunt, de quibus fusius verba fecimus in Sacramento Poenitentiae.

75 Nondum baptizati denique sunt incapaces Sacramenti Extremae Uctionis, quia solus homo baptizatus est subjectum illius, Barbos: *p. 2. c. 22. n. 4.* cum enim Baptismus sit fundamentum Sacramentorum, *C. Veniens 3. de Presbyt. non baptiz. t. 43.* non valet habere aditum ad alia Sacramenta qui prius per hoc non intravit, cum Baptismus sit qui hominem caeterorum Sacramentorum capacem reddit.

76 Isti omnes incapaces sunt Sacramenti Extremae Uctionis, ut sustinent plures Doctores a Clericat. *decis. 80. allegat.* Nihilominus recentiores Theologi ab eodem Clericato adducti. *ibid. nu. 5. et. 6.* cum fundamento, quod de quocumque Christiano, possit prudenter praesumi, in periculo, seu articulo mortis, constitutum quempiam fidelem (loquor de tribus primo exceptis, non autem de non baptizato) interius corde suo dolere de peccatis, et efflagitate Sacramenta, ut aeternam salutem consequatur; ideoque in voto sunt, ut sit sufficiens praesumptio pro ministrando eidem hoc Sacramento, ideoque recte operari qui praesumptive ministraret Impoenitenti, manifesto peccatori, et excommunicato in mortis articulo constitutis. Diana ipse recessit ab opinione sua, *Coord. T. 1. tract. 4. resol. 65* et cum multis Authoribus ab eo congestis, affirmavit, non esse illicium.
COM.—P. 3.

citam Sacramentorum ministrationem eidem moribundo, quamvis destitutus sit sensibus actualiter peccando. Est enim pie credendum, quod etiam pessimus peccator, se vicinum morti sentiens, conetur actum saltem Attritionis in corde elicere, ut salvetur. Hoc non obstante, Textus noster clare loquitur, prohibens talem administrationem, qui Textus cum per consensum Ecclesiae Universalis sancitus sit, est magis attendendus, quam opinio Doctorum licet Classicorum.

§. IX. Non ministretur etiam praelium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis, aut pueris rationis usum non habentibus.

77 78 Jam diximus, quod sanis, sive Personis in sanitate corporali constitutis Extrema Unctio neque licite, neque valide ministrari potest, ut unanimiter docent Doctores cum Clericat *d. dec. 79. n. 1.* Inter istos corporis sanitate gaudentes connumerantur (licet se exponant aliquo periculo) illi qui magnam, et periculosam navigationem suscipiunt, in quia alias alii mortui sint; ulterius illi qui praelium dubium ineunt, peregrinationem ad barbaras gentes statuunt, mulieres in puerperio necnon alii in similibus periculis, in quibus probabiliter sint morituri. Isti omnes ungenti non sunt Oleo Extremae Unctionis ob tale periculum, et ratio est, quia hoc Sacramentum institutum est pro morituris tantummodo ex infirmitate, ut D. Jacobi sonant verba, et Concil. Florentini, et Tridentini locis citatis.

79 Attamen Puerperae veniunt excipiendae quae ob partus difficultatem, ac nimios, diurnosque dolores, constitutae sunt in probabili vitae, discrimine, Diana Coord. *Tom. 2. tract. 4. resol. 49.* et alii allegat. per Clericat. *decis. 79. n. 22.* inter quos Gobat. *tract. 8 a n. 843. et seq.* advertit quod talis mulier puerpera non est ungenta Oleo Sacro in ordinario partus periculo; sed ubi illud sit ingens, et ex judicio Medicorum agatur de discrimine vitae.

80 81 82 Insuper hoc Sacramentum Extremae Unctionis non est ministrandum Reis capite damnatis, S. Thom. *in 4. sent. dist. 23. q. 2.* Covarruv. *l. 2. var. resol. c. 1. n. 11.* Simanca *de Cath. Inst. t. 57 n. 16.* et super eo noster Castracanius *in notis, n. 16.* quia tale Sacramentum non potest illis prodesse ad salutem corporis, Bellet. *p. 1. §. 1. nu. 48.* Victorell. *fol. 42.* et ultimo loco P. Manara, *Notti Malinconiche, In-terr. 35.* Igitur regula est, a Doctoribus, et universali consuetu-

dine approbata, sed habet suas exceptiones: Possunt enim dari casus, in quibus etiam infelices Rei a Carnifice trucidandi, liniri possit Oleo Sancto, et muniri hoc Sacramento, ut notat idem Manara, *l. c.*

83 Duos casus affert Gabat. *tract. 8. n. 847. 848.* ex Clericat. *d. l. n. 34. 35.* Primus est quando damnatus ad mortem, antequam sententia executioni demandetur, ita, et taliter gravi morbo corripiatur, ut timeatur ejus mors ante executionem sententiae, quia vere tunc est infirmus cum periculo, ut ait Escobar. *Probl. 30.* Similem casum habuit piissima Schola Consolatorum Ferrariae *anno 1681. die 14. Augusti.* Quidam Bernardinus Cavallari celebris homicida, a Birruariis in actu capturae lethaliter vulneratus, ad Carceres ductus, ob gravitatem delicti, statim capite damnatus fuit; sed cum vulnus incrudesceret, et de affectu spasmodico timeretur, qui eum brevi tempore necaret, ante executionem sententiae, de Consilio Physicorum, et consolatorum, qui eum in Capella Carcerum confortabantur, ministrata illi fuit Extrema Unctio, quia vere erat corpore graviter infirmus, et in proximo periculo mortis naturalis, ante mortem violentam.

84 85 Secundus casus est (in Italia vero non usitatus) quando Reorum, praecipue homicidarum, artus, brachia, femora, tibiae, ac pectus franguntur rota, ferro prominente armata. In hac carnificina saepius accidit, ut Reus, fractis ossibus, implexus rotae, post illam horribilem confractionem diu vivat, quandoque per biduum, et triduum. In hoc casu non censetur prohibitum misero illi Sacramentum hoc ministrare: et ratio est, quia in tali casu superviventiae, post fracturam ossium, Reus ipse morti proximus est, ob suscepta vulnera, et ob ossifragium, ut notat Castropalaus, ac Tannerus; quos citat, et sequitur ipsemet Gobat. *dict. l. et Clericat. ib.* subdens in nihilo offendi reverentiam Sacramenti exhibiti in illo patibuli loco, quia nullus plane locus determinatus est pro hac inunctione, neque Magistratum saecularem posse id prohibere; cum sit actio mere spiritualis, nihil nocens publicae justitiae.

Nonnullos etiam audivi asserere, Sacramentum hoc non ministrari morte plectendis ob irreverentiam, quae eidem Sacramento praeberetur, dum Reus pedibus inunctis Sacro Oleo, calcaret humum in itinere ad Patibulum. Sed haec ratio satis frigida est; nam quod non fit ob contemptum, nullo modo est reprehensibile: alioquin et Infirmis manus ligari deberent post Sanctam Unctionem, ne iisdem manibus unctis aliquid indecens, et sordidum pertractarent.

86 Nec obstat objectio, quae ab aliquibus Doctoribus fieri solet, nempe in morti damnato aliquem effectum hujus Sacramenti posse verificari, nempe Animae salutem, seu purgationem peccatorum; concedatur, inquit ipsi, quod corporis sa-

nitatis, ob imminentem sententiae irrevocabilis executionem, desperata sit; non per hoc tamen est, ut Animae salus acquiri non possit per purgationem peccatorum: ergo saltem pro hoc effectu habendo, impertienda est Extrema Unctio capite plecendis: si enim frustratur unus finis, nempe salus corporalis, non frustratur alter, et quidem potior, qui est salus Animae, pro qua Deus passus est: Cui objectioni respondeo: Sacramenta non esse incertitudini probabiliter negativae committenda, ut docet Stephanus a S. Gregorio *de poenit, cap. 9.* Sed in hoc casu Sacramentum exponeretur huic moraliter indispensabili certitudini; ergo ab illius administratione abstinendum est. De facto eadem ratio militaret etiam pro Infantibus usum rationis non habentibus, nam si peccatorum purgatio in iis verificari non posset, posset utique evenire alter effectus sanitatis corporalis, et tamen Ecclesia, ut in antecedenti §. 5. demonstravimus, prohibet, ne ministretur hoc Sacramentum iis, qui ad usum rationis non pervenerint, eo quia alter effectus purgationis peccatorum haberi non potest. Igitur in casu quoque damnati ad mortem, cum alter effectus haberi nequeat, non debet committi hoc Sacramentum certae frustrationi unius suorum effectuum.

87 Difficultas est, an huiusmodi condemnato Infirmo, et morti proximo debeat ministrari hoc Sacramentum per Parochum, vel per quemlibet alium Sacerdotem, puta Capellanum Confraternitatis mortis, vel per Sacerdotem consolatorem? Doctores in hoc consentiunt, competere hoc munus proprio carceratorum Parocho, nempe loci, in quo degunt Carcerati, etiam si sit Regularis. Ita Em. Sa, *verbo, Extrema Unctio, Quint. Singular. tract. 5. sing. 3. nu. 7. cum Manara noct. malincon. Interr. 36.* et ratio est, quia statim ac carceratus est Infirmus, indiget Sacramentis, et sit subditus Parocho, et quadammodo extra jurisdictionem magistratum saecularium. Ultraquamquod Oleum Infirmorum, cum unice penes Parochum servetur, ad aliam Personam recursus haberi non potest in simili casu, nisi ad Parochum; nec privilegia particularia Societatis mortis, seu consolatorum derogant juribus Parochialibus, nisi specificice loquantur.

§. X. Si quis autem laborat in extremis, et periculum immineat, ne decedat antequam finiantur unctiones, cito ungetur, incipiendo ab eo loco: *Per istam Sanctam unctionem, etc.* ut infra: deinde, si adhuc supervivat, dicantur Orationes praetermissae, suo loco positae.

88 89 Cum materia, et forma sint quae constituunt hoc Sacramentum; nempe Oleum, ministratio, seu Unctio, et verba prolata in actu unctionis; sufficit, ut haec tantum tria habeantur; caetera enim sunt accessoria, et sine illis potest Sacramentum stare: ideoque si omittantur Orationes, et preces statutae in casu necessitatis, et licite, et valide hoc fieret. *Act. pag. 4.* Si vero tempus post unctionem suppetat, Orationes, et preces praetermissae supplendae sunt, intellige tam de antecedentibus, quam de subsequentibus, ut ita Ritus adimpleatur aliquo modo. Orationes enim, et Psalmi non possunt in hac administratione omitti, absque peccati incursu, *Barbos. dict. nu. 39.* nisi periculum videatur esse in mora; quod idem est ac in casu necessitatis.

§. XI. Si vero dum inungitur, Infirmus decedat, Presbyter ultra non procedat, et praedictas Orationes omittat.

90 Mortuus Homo Sacramenti capax non est; unde recte praecipit textus noster, ut Sacerdos desistat ab unctione, quia haec nullum effectum habere potest. Circa quod Thomistae, quos cumulat Mastrius relatus a Cleric. *dec. 46. num. 8.* asserunt, quod si aeger moriatur ante completam quintam unctionem, Sacramentum remaneat invalidum, et ex eo nullum consequatur effectum. Quod et docuit novissime Gonet. *tom. 5. tr. 6. disp. 1. de Extr. Unct. n. 30. et seqq.*

§. XII. Quod si dubitet, an vivat adhuc, unctionem prosequatur sub conditione, pronuntiando formam, dicens: *Si vivis: Per istam sanctam unctionem, etc.*

91 Conditio nihil ponit in esse, et valet ad quantum valere potest, ideo in hoc casu non est omittenda, quia Sacerdos non potest deponere dubium, utrum Infirmus vivat, necne: et si viveret, multum juvare posset ista Unctio: Si vero non viveret, nihil noceret. Vide quae diximus in Baptismo, et Poenitentia sub conditione ministratis in suis Titulis.

§. XIII. Si autem acciderit, Infirmum post peccatorum suorum confessionem ad exitum vitae properare, tunc cum Sacro Viatico poterit et Oleum Infirmorum ad eum deferri,

per ipsum Sacerdotem, qui defert Sacram Eucharistiam: si tamen alius Presbyter, vel Diaconus, qui Oleum Sanctum deferat, haberi possit, per ipsum deferatur; qui superpelliceo indutus, cum Oleo sacro occulte delato sequatur Sacerdotem Viaticum portantem, et postquam Infirmus Viaticum sumpserit, inungatur a Sacerdote.

92 Precepit hoc etiam S. Carolus, *Act. 4. de Sacramento Extremae Unctionis*, his verbis: *Cum ad Aegrum valde periculose aegrotantem Sacram Eucharistiam pro Viatico fert, Vasculum etiam Sacrae Unctionis afferet, praesertim si (et hoc Rubrice nostre necessario addendum erat) Infirmi domicilium ab Ecclesia longe abest: Ut si morbi vis magis ingravescat, in tempore ministret.*

93 94 Menimi me in primo Titulo dixisse, quante utilitatis sit, si vocatus Parochus ad Infirmum graviter laborantem, exiens ab Ecclesia, sive a domo sua (a qua abesse non debet) semper secum deferat Vasculum Olei Sancti, ad Infirmum inungendum, si opus erit. Istud Vasculum potest ab ipso Sacerdote deferri, si solus ipse sit in administratione Eucharistiae, nec adsit saltem Diaconus, cui hoc Officium tradat: dixi *Diaconus*, quia post Sacerdotem unice Diaconus est dignior minister in Ecclesia Dei. Caeterum si sit simplex Clericus, non peccabit, nec indigne feret, com non aliud Officium gerat, quam portitoris, non autem ministratoris. Si enim, ut suo loco diximus, sufficit, quod sit Clericus, qui accedat ad deferenda Olea Sacra de loco, ubi consecrata fuere, ad locum, ubi fieri debet Benedictio Fontis, nulla est disparitas, cur modo idem officium praestare nequeat in hac necessitate. In Titulo *de Sacris Oleis* §. 8. Verba satis clara sunt: dicunt enim: *Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per Laicos, sed per se, vel per alium Sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiae ministrum, haec Olea deferantur*: Ecce quomodo de Sacerdote loquitur, non de Diacono; sed de quocumque alio Ecclesiae ministro.

95 Iste Diaconus debet esse indutus superpelliceo, absque quo habitu non decet ferre Sacramentum: quamvis enim occulte debeat illud tenere, attamen subdole fieret, si absque hac Sacra Veste incederet. Verum est, quod si ceteri, et diversi alii Ecclesiastici Ministro adessent, omnes quotquot essent, deberent similiter superpelliceo indui, unde non distingueretur inter illos quisnam deferret Sacramentum Sancti Olei, eo magis quia, ut praescribit Rubrica, debet occulte deferri. Sed locus est, qui huiusmodi ministrum a caeteris distinguit: caeteri enim praecedere debent Parochum, sive Sacerdotem Eucharistiam portantem, ut pariter docet Rubrica: iste solus post Paro-

chum debet sequi cum Oleo. Haec distinctio non sine mysterio statuta est, sed fit ob excellentiam Sacramenti, quod ipse defert, et quod locum suum distinctum habere debet in ordine ad alios Ministros. Principalis locus datur Sacramento Eucharistiae: minus principalis vero Sacramento minori, et ab ipsomet Christo in Eucharistia contento, instituto.

§. XIV. In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidit.

96 97 Ad hoc ut iterum eidem Infirmo ministretur Extrema Unctio, Medicorum iudicio, idem Infirmus prius esse debet extra probabile, seu propinquum mortis periculum, et de novo in morbum periculosum incidisse, mutata corporis valetudine; et hoc potest fieri quamvis intervallum non longum temporis, sed paucarum hebdomadarum intercesserit, dummodo prudenter censeatur diversus status, diversum periculum, et diversa dispositio ad moriendum, Henriquez *lib. 3. cap. 9. §. 3.* Ledesma, *part. 1. cap. 8.* Coninck *disp. 19. a nu. 26.* et alii apud Barb. *dict. part. 3. cap. 22. nu. 38.* Absolute igitur loquendo, potest hoc Sacramentum ab eodem Infirmo suscipi pluries, quia non imprimit Characterem, non tamen durante eodem morbi periculo, sive statu, quia pro toto illo tempore censetur sufficienter suum effectum operari, Coninck *d. loc.*

98 De hujus Sacramenti iteratione acriter olim disputatum fuit inter Pium II. Summum Pontificem, et Laurentium Roverellam Episcopum Ferrar. ut notat Ciaccon. *T. 2. p. 1005.* Ughell. *addit. T. 2 p. 553. Glos. in c. Illud 3. dist. 95.*

§. XV. Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta, homini natura tribuit: nempe oculi, aures, nares, os et manus: attamen pedes etiam, et renes ungenti sunt: Sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur, atque etiam in viris quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet.